



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Virginitatis encomia, ac præmium ex sacris litteris, aliisq[ue] auctoribus,
n. 5

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

Thronum Dei. Enim verò hi centum quadraginta quatuor millia virginum tot Dei donis præditi, totque gloriæ insignibus clari, Canticum illud novum in gratiarum actionem de servata virginitate cantant ante quatuor animalia, & eniores, nimirum Evangelistas, & viros Apostolicos, ac Prophetas, quodiam eorum doctrina, scriptis, ac prædicatione virginitatem servarunt, aliaque quibus in hac vita claruerunt pietatis opera coluerunt: id verò majori voluntate ante Sedem Dei, beatissimam scilicet Virginem Deiparam facere sunt censendi: quippe quæ Virgo virginum iure appellatur, quæ alios ad virginitatem colendam, eandemque Deo per votum conservandam suo exemplo excitavit, & invitavit, quæ suo patrocinio, meritis, ac precibus ad eandem servandam eos adjuvit; quæ Agni, quem illi sequuntur, Mater est dilectissima, eique maximè vicina, de quo supra cap. 12. quam Agnus tanti fecit in terris; & nunc maximè honorari vult in cælis, ut Bernardus homil. 1. super missus est, expendens ex hoc loco Apocalypsis illud de Christo Luc. 2. *Et erat subditus illis: Quis, inquit, quibus Deus hominibus. Deus (inquam) cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, & Potestates obediunt subditus erat Maria: nectansum Maria, sed etiam Ioseph propter Mariam: mirare ergo utrumlibet, & elige quod amplius mireris, suo filij benignissimam dignationem, sine matris excellentissimam dignitatem, utrinque stupor, utrinque miraculum. & quod Deus femina obtemperet humilitas sine exemplo: & quod Deo femina principetur, sublimis sine fœco. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum, quocumque jerit: quibus ergo laudibus iudicatur dignam, quæ atiam præst. hæc Bernardus. Quo circa, quod cap. 17. delectissimis sanctis, & de reliqua animarum sanctarum multitudine sub typo viginti quatuor seniorum, & maris vitrei Deiparam singulan reverentia colentibus, cœtantum se debere omnes cognoscunt, eor. & quod superiori capite de sanctorum lætitia, quam ex Deiparæ conspectu capiunt, dictum est; id ipsum peculiari quadam ratione de virginibus merito in præsentis capite affirmamus, & idcirco hoc in loco Apocalypsis non solum ante Sedem Dei, id est Deiparam, ut ex dictis patet, suum canticum novum canere, sed etiam sine macula ante Thronum Dei, id est, ante Deiparam esse memoratur, cujus ope,*

Cantant.
ante Dei-
param, &
quart.

Bernard.

Luc. 2.

Apoc. 14.

Apoc. 4.

ac patrocinio, tot tantaque dona à Christo sunt consecuti.

Verum ut hoc ipsum adhuc magis perspicuum fiat, ostendam illibatam Deiparæ virginitatem in sacris litteris magnificè adumbrari, atque describi, eamque voto virginitatem suam præpotenti, Deo primam obtulisse, multisque nominibus virginum omnium esse Regionam, & ab eisdem singulariter coli, ac proinde Canticum illud novum, eos (ut diximus) ante ipsam etiam cantare.

VIRGINITATIS ENCOMIA, AC
præmium ex sacris litteris, aliisque
Auctoribus.

Quod ut melius demonstremus suppono virginitatem Deo esse in primis gratam, quam Christus Dominus in sua, & Genitricis suæ persona dicavit, eamque inter præcipua legis evangelicæ consilia à Christo tradita connumerari testatur Apostolus 1. Cor. 7. & habetur Matth. 19. illis verbis: *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter Regnum caelorum:* remque hæc esse altissimam indicant verba illa, quæ sequuntur: *Qui potest capere, capiat, & illa: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Virginitas porro præter gloriam essentialem, etiam Aureola propter perfectam victoriam, quam de carne sua reportarunt, debetur: & propterea in hoc loco Apoc. 14. Canticum novum, quod nemo alius dicere poterat, ipsi cantare, & ad familiarem quandam Agni sequelam recipi dicuntur. Hinc Isa. 56. *Virginibus sub nomine Eunuchorum, quia videlicet propter Christum se ipsos spiritualiter castraverunt, promittitur à Domino in domo sua locus, & nomen melius à filiis, & filibus nomen sempiternum, quod non peribit, scilicet, excellens quædam gloria: sicut Elcana 2. Reg. 1. consolabatur Annam uxorem sterilem, & ex hoc affertur illis verbis: Numquid non ego melior tibi sum, quam decem filij: quanto magis Deus ipse virginibus longè præclariora præstabit, quam si filios habuissent. De virginibus autem hunc Isaac locum intelligendum luculenter ostendit Augustinus libro de sancta virginitate c. 24. & 25. Ambrosius de Instit. Virg. cap. 6. Basilus libro de vera virginitate, Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, & in Isa. 56. Gregorius 3. par. pastor. admon. 29. Cyrillus lib. 5. in Isa. adde*

Quædam
in hoc ca-
pitate agri-
da: De vir-
ginitate
Deiparæ,
quæ ungu-
m est pre-
miera.

Virginitat.
Deo gra-
tissima

1. Cor. 7.
Matth. 19

Aureole
debetur
virginitati

Isa. 56

1. Reg. 1.

August.
Ambros.
Basilus.
Hieron.
Gregor.
Cyrillus

Sap. 4. Virgines magnificiam bonam famam. Hieron. Eccl. 26. Adde Sap. 4. dicitur: O quam pulchra est casta generatio cum claritate: immortalis est enim memoria illius. quoniam & apud Deum nota est. Et apud homines. Vbi illud ex Ildesonso ser. 1. de Assumpt. adnotare possumus, castitatem præclaram esse in virginibus præsertim cum CLARITATE, id est, cum præconio bonæ famæ, & Eccl. 26. Omnis ponderatio non est digna continentis anima, quæ de virginibus in castitatis virtute primas tenentibus multò magis dici possunt.

Illud quoque virginittatis præstantiam ostendit, quòd Virgines à triplici maledictione, quam Eæ Deus optimus infligit suo modo eximantur, quod Fulgentius sermone de laudib. Mariæ eleganter indicat: *Eua*, inquit, *dixitum est, in doloribus, & tristitia paries, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui: Tribus ergo his malis se subiungant scemina, quæ Mariam non sequuntur, dolor, tristitia, & seruituti.* sic ille.

His consonat præmium, quod nominatim virtutisque sexus virginibus promittitur his verbis Sap. 3. *Felix est sterilis, & incoquinata, quæ non fecit thorum cum dilecto, habebit fructum in visitatione, seu* (vt legit Hieronymus in lra 56.) *in visitatione annuarum sanctarum: & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum nequissima, dabitur enim illi fidei donum electum, & fors in templo Domini acceptissima.* sic ibi: quibus verbis Sapiens Virgines circum loquitur, neque enim omnem sterilem vocat felicem, sed in coinquinatam, hoc est eam, quæ ab omni iniquatione abstinens: voluntate sua sterilitatem eligit: similiter eum spadonem beatificat, qui opere, & cogitatione ab omni impudicitia est alienus, qui nimirum *se ipsum*, iuxta illud Matt. 19. *Castrauit propter regnum celorum?* & quatuor Deut. 23. dicitur: *Non intrabit Eunuchus Ecclesiam Domini: nostris tamen Eunuchis, seu virginibus fors acceptissima in ipso templo Domini possidenda prænucciatur, quin etiam promittitur donum quoddam singulare respondens eorum fidei: quæ propter Deum præsentis carnis illecebras, & delectationes omnino spreuerunt. Huic autem locum Sap. 3. Hieronymus in lra. 56. citat, ac de virginibus interpretatur.*

Sed quærat quispiam, quod nam erit virginittatis præmium peculiare, quod lra. 56. Sap. 3. & Apoc. 14. verbis amplissimis, virginibus

tribuendum promittitur? Respondeo in virginittatis primis ex cap. 14. Apoc. Virgines secuturos Agnum quocumque ierit, eosque cantaturos canticum illud nouum, quod soli virgines cantabunt: de quo initio huius capituli differimus: deinde ex S. Thoma in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. quæstione. 1. ad 1. & art. 3. quæstione. 1. & art. 5. Virgines tam viri, quàm femine, qui propositum habuerint virginittatem perpetuo seruandi, siue ex voto, siue adque eo, quamuis hoc propositum aliquando fuerit interruptum, integritate tamen carnis manente, dummodo in fine vitæ inueniatur, huiusmodi (inquam) virgines præter gloriam essentialem, quæ in clara Dei visione consistit, & operibus meritorijs ex gratia precedentibus debetur: quod, & virginittati secundum quod propter Deum seruatur impensio charitatis, tribuetur. donabuntur etiam peculiari Aureola virginittatis, quæ est priuilegium quoddam præmium respondens priuilegiatæ, seu excellenti victoriæ, quam de carne, contra quam continus Galat. 5. bellum gerimus, reportarunt: quin etiam præter aureolam virginittatis fructus quoque centesimus virginibus respondebit: cum enim ex Christi Domini parabola, quàm de semine iacto proposuit Matth. 13. triplex seminis in terram bonam decidentis fructus existat: *Alia*, inquit, *cociderunt in terram bonam, & dabunt fructum, aliud centesimū, aliud sexagesimū, aliud trigessimū* ex Interpretatione sententia Prim^o virginib^o. Secund. viduis, & continentibus. Tertius coniugatis deputatur: ita enim docet Cyprianus lib. de habitu Virg. Athanasius epistola ad Ammonium, Hieronymus in Matth. 13. & epist. 22. & in Apologia pro libris aduersus Iovinianum, ubi ex arte numerandi per digitos hoc ipsum eleganter confirmat, quod Marianus Victorius in notis ad illum locum Hieronymi ex Beda eruditè explicat, Idem de fructu centesimo virginibus attributo docent Beda, & S. Thom. in 4. dist. 49. q. 5. art. 2. & S. Antoninus 3. part. tit. 3. cap. 8. §. 4. Est autem FRUCTUS quatenus ex semine confurgit, vt docet S. Thomas loco citato quæstione. 1. & 3. præmium quoddam accidentiale, & speciale commune tribus gradibus continentia: *Qui* (vt verbis vtat Hieronymi epistolæ 22) *de uno proceat semine castitatis: & sicuti Aurea, seu præmium essentialitè Beatorum posita est in gaudio, quod habent*

buendæ. S. Thom. Galat. 5^o Matth. 13^o Cyprian. Athanas. Hieron. Marianus Victorius Beda. S. Thom. S. Antoninus. Fructus quia habent

H h n j de



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

de Deo, eiusq; clara visione, sic Aureola, quæ est præmium accidentale consistit in gaudio quod habent Beati de operibus perfectionis quibus maximè Christo fuisse conformes secundum perfectam victoriam, siue contra carnem omnino à viceris abstinendo, siue contra diabolum, quem non tantum à se, sed ab aliorum cordibus expellunt per prædicationem, & doctrinam: siue contra mundum, cuius persecutiones pro Christo vsque ad mortem, sustinuerunt, & hinc triplex consurgit aureola Virginum, Doctorum, & Martyrum: **FRUCTVS** denique consistit in gaudio, quod habetur de ipsa dispositione operantis secundum gradum spiritualem, in qua proficit ex semine, quod est Verbum Dei, quatenus homo in quanda spiritualitatem transiit, à carnalitate recedens, quod præcipuè facit continentia, quæ delectationes spernit venereas, hinc triplex fructus consurgit iuxta triplicem continentiam, coniugalem, vidualem, virginalem, hæc ex S. Thoma. Ex quibus omnibus constat virginibus in celo præter Auream omnibus Beatis communem, Aureolam propriam virginittatis, & inter continentes Fructum centesimum retribuendum.

Virginitas apud homines in magno pretio habetur.
Constantinus Magnus quæsi fecerit virgines.
Eusebius.

7 Quoniam verò virginitas tot, tantisque præmijs donatur in cælis, hinc factum est, vt homines quoque magno honore virgines Deo consecratas prosequantur, quod de Constantino testatur Athanasius in Apologia sua ad Constantium his verbis, *Virgines præ reliquis omnibus beata memoria pater tuus Constantinus Augustus in pretio habebat, & Eusebius lib. 4. de vita Constantini cap. 28. de eodem Constantino loquens, Maximis, inquit, eos honoribus prosequabatur, qui vitam suam cælesti philosophia dedicassent. Sanctissimum ergo perpetuarum virginum certum constanter colebat, quod in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecravant, inhabitare crederet hæc ille. Quod satis declaravit Constantinus cum alimenta illis ex publico dari iussit, teste Theodoro lib. 2. hist. cap. 11. vbi cum narrasset Episcopos Concilij Nicæni epulo à Constantino exceptos, & muneribus donatos, hæc subiicit, *Quin etiam literas ad prouinciarum præfectos dedit, mandauitque vt certis frumenti numerus viduis, & ijs, qui perpetuam seruant virginitatem, quin etiam illis, qui diuinis mysterijs obeundis consecrati sunt in singulis cœuitatibus quotannis suppeditaretur, cumque non tam egentium necessitate,**

Virginitas alimèta ex publico tributa.
Theodor.

quàm sua ipsius munificentia monsus est, huius congruari adhuc certis pars suppeditatur, quippe impius tyrannus Iulianus totum penitus abstrulerat ille quidem, sed qui ei successit in imperio, hoc quod iam suppeditatur conferri mandauit, sic Theodoretus.

Quin etiam Christi Virgines ab Ethnicis quoque reuenter tractatas scribit Ammianus lib. 28. cum enim Persæ Remam, & Borsam Romanorum propugnacula tempore Constantij Imperatoris expugnassent, *Rex Persarum, inquit, inuentas virgines Christianorum cultui diuino sacratas custodiri iussit, & religioni seruire solito more, nullo vetante precepit.* hæc Ammianus.

Helena verò Constantini mater sanctissima, ac religiosissima quanti fecerit sacras virgines facile ostendit illud, quod complures auctores de ea cum sacrosanctum crucis lignum inuenisset, scriptis prodiderunt, id nos ex Ruffino lib. 1. cap. 8. referemus: *Reliquit etiam Ierosolymis, inquit, indicium hoc religiosi animi Regina venerabilis, virgines quas ibi reperit Deo sacratas inuissit ad prandium, & tanta eam deuotione curasse dicitur, vt indignum crederet si famularum viderentur officijs, sed ipsa manibus suis famula habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & Regina Orbis, ac mater imperij famularum Christi famulam deputaret.* hæc ille.

Quòd si ad veteres Sibillas animum conuertamus, quas de Christo Domino plurima vaticinitas esse testantur Lactantius in libris diuinarum institutionum, S. August. & alij, eas non tantum virgines, sed ob virginitatem hoc munere donatas asserit Hieronym. lib. 1. contra Iouinianum: *Quid referam, inquit, Sibyllas Eriethraam, atq; Cumanam, & octo reliquas? (quam Varro decem fuisse autumat) quarum insigne virginitas est & virginitatis præmium diuinitas. Quæ si Aæolici generis sermonis Sibylla Διοβόλα appellatur rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.* hæc Hieron. 8 Quinimod, vt hoc obiter dicamus, non tantum vbi veri Dei cultus viguit, verum apud Ethnicos, etiam vbi que gentium virginitas est in pretio habita, vti ex Hieronymo libro 2. contra Iouinianum, cognosceee accuratius licet, qui varijs Exemplis, ex omni antiquitate Græcorum, Latinorum, & Barbarorum petitis, docet virginitatem semper tenuisse pudicitie principatum. Quamuis inter

Virgines sacras Perse in Hieron. viderentur habita. Ammianus.

Helena ministras virginibus. Ruffinus.

Sibylla virginum. Lactant. S. August.

Hieron.

Varro.

Hieronymus.

Gentiles valde raris huiusmodi flos inueniretur, quo tamen post Deiparam Christi Ecclesia per vniuersum orbem copiose cumulatęque abundat. Non me latet apud Romanos Virgines fuisse Vestales, sed earum tamen virginitas, quod teste Ambrosio libro primo de Virginitate, & libro 2. Epistol. 12. in Symmachum, esset emptia, temporaria, ac fastu plena, & ad paucissimas spectaret; nulla ex parte cum Christianorum Virginitate est conferenda, quę & perpetua, & ab omni pulchritudinis lenocinio, ac lucris aliena, multitudine innumeras complectitur, & humilitate, ac jejunijs gaudet. Ceterum quoniam Virginitas in sacris litteris, vt diximus, adeo magnificatur, hinc præclara virginitatis præconia apud Patres reperiuntur. quorum aliqua in præsentia recenseamus.

In primis Nazianzenus carmine de virginitate, sanctissimam Trinitatem propter summam, quę in diuinis processionibus inuenitur puritatem, Primam Virginem appellauit his verbis.

Prima Tris Virgo est, siquidem Patre natas Anarcho

Filius est, nec enim Pater ortum traxit ab vllis, Vipote principium rerum, & vitalis origo

Mors nec humano generauit sanguine natum, &c.

Atque ita virgines hæc Dei puritatem suo modo imitantur.

VIRGINES ANGELIS

assimilantur.

AD hæc per Virginitatem Patres sæpe homines Angelis æquari probant ex illo Matthæi 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicuti Angeli Dei in celo.*

In primis Nazianzenus in carmine de virginitate.

Salus Virginitas d. vino tradita dono,

Mater inoffensa vita, bona maxima fundens,

Christi pars, & SPIRITIVS foecata supernis.

Ignarus Thalami.

Idem Nazianzenus oratione in illud: *Non omnes capiunt verbum: Non secundum carnem vivere, Angelicus est, & superius nature.*

Cyrillus Ierosolymitanus cathec. 12. *Non ignoremus, inquit, castitatis gloriam, Angelica enim est corona, & supra hominam hæc perfectio.* hæc Cyrillus.

Athanasius in fine libri de virginitate. *Virginitas, inquit, opulenta indeficiens, corona immarcescibilis, Templum Dei, Domicilium Spiritus sancti, Margarita speciosa, vulgo inconspicua, Gaudium Prophanorum, Gloriatio Apostolorum, ANGELORVM vita, Sanctorum corona.*

Idem Apologia ad Constantinum: *Christus, inquit, Dei filius, homo propter nos factus profugatus morte, inter cetera dona sua largitus est nobis in Virginitate exemplar Angelica sanctitatis.*

Tertullianus libr. 1. ad uxorem: *Puella, inquit, in terris non nubendo de familia Angelica deputantur.*

Cyprianus libr. 2. de discipl. & habit. virgin. *Cum casta perseveratis, & Virgines, Angelis Dei estis æquales.*

Hieronymus epist. 22. *Filius Dei, vt ingressus est super terram, nouam sibi familiam instituit ut qui ab Angelis adorabatur in celo, haberet angelos (id est Virgines) & in terris.*

Ambrosius libro 1. de virginit. *Nemo, inquit, miretur, si Angelis comparemur, quo Angelorum Domino copulantur, & infra: Castitas etiam angelos facit, qui eam seruauit angelus est, qui perdidit, diabolus.*

Cassianus libr. 6. cap. 6. *Nulla, inquit, virtutem propter carnales homines spiritalibus angelis imitatione conuersationis æquamur, quam meritis & gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes, habent secundum Apostolorum municipatum in Cælis, quod deposita corruptela carnali habituros promittitur in futurum hic iam in carne frangibile possidentes. sic Cassianus.*

Augustinus sermon. 46. de verbis Domini, loquens cum ijs, qui castitatem vouerunt:

Memento, inquit, in quocunque sexu sitis, sus mares, siue femina, Angelorum vitam ducere vos in terra. Angeli enim nos nubunt, neq; uxores ducunt. Hoc erimus cum resurrexerimus. Quando vos meliores, qui id, quod erunt homines post resurrectionem, hoc vos incipitis esse ante mortem.

Idem Augustinus libr. 1. de sancta virgin. c. 23. *virginitas, inquit, Angelica portio est.*

Petrus Chrysologus serm. 143. eam præfert quodammodo angelis: *Angelis, inquit, semper cognata virginitas in carne præter carnem*

vivens,